

SIGISMUNDVS LIBER BARO IN HER-  
berstain, Neyperg & Guttenhag, &c. GEORGIO UVERNHERO,  
Regio Consiliario, & apud Saros Praefecto, s. d.

**A** ST iam olim, & à multis quidē multa de admirandis in Zepusio a-  
quis audierā, tamē ijsdē de rebus, quę pleriqꝫ incredibiles uideban-  
tur, à te in primis certior fieri. & tuū iudicium audire desiderabam.  
Quia uero non dubitasti, quę comperta de his haberet, ad me scri-  
bere, facile effecisti, ut nō modò, quid ipse posthac de his sentire de-  
beam, certò scirem: sed etiam multi alijs excellentes uiri, testimonio  
tuo, cui plurima apud omnes est autoritas, confirmati, addubitatē desinerent. Sed  
cū etiam in reliquis Hungariæ partibus multæ non minus admirabiles aquæ esse  
dicātur, rem ualde gratā mihi, & multis alijs harū rerum cupidis, tuiqꝫ studiolis factu-  
rus es, si eas quoqꝫ describēdas suscepseris. Scio quidē, & uidi ipsem apud Sereniss.  
quondam Ludouicum Hungariæ regem, Diui Imperatoris Maximiliani legatione  
fungens, ad Budam sedem regiam, thermas esse, quarum calorē immissa manu ferre  
nequeas. quod ei uicqꝫ, qui ante non uidit, mirabile uidetur. Sed quod in his etiā uiui  
pisces sunt, id nō pauci pro re incredibili habēt. Talia quoqꝫ uident̄ esse, quę dicunt  
de alijs thermis in ripa fluuij Vagi, nō longè ab oppido Galgocz quod Germani &  
Slaui vulgo Freistat uocant: quas locū prout crescit aut decrescit flutius, in æquali  
semper distantia mutare aitint. Legi nuper apud Arrianum libro tertio, descriptum  
fontem, qui sub lucem tepentibus aquis manat, in meridie frigidus, uesperi calet, ac  
**B** sub exortum diei rursum tepidus oritur, atqꝫ ita per singulos dies ac noctes æstus ac  
frigoris uices uariat. Saxo Grammaticus in Islandia fontē esse testatur, qui sumigan-  
tis aquæ uitio natuā rei cuiuslibet originē démolitur. Nam quicquid humido eius  
uapore afflatur, in lapideæ naturæ duriciem, forma tantū superstite, subita conuer-  
sione transmutari. Hęc & his similia, qui deinceps legent, minus mirabūtur, ubi ani-  
maduertent, summum opificem in his etiam nostris, & alijs uiciniis regionibus non  
pauca mirabilium operum suorum monimenta posuisse, quę tamen indigenæ pro  
miraculis non habent: ac quandoqꝫ etiam, si interrogentur, ignorant, quemadmo-  
dum in Moscouia sæpenumerò sum expertus. Nam cum nonnulla eiusmodi, quę  
mihi narrarant alijs, quererem ab incolis, adeò nihil habebant quod responderent,  
ut mirari se dicerent, unde ea homo peregrinus accepisset. Nō dubium est autem,  
nisi pleraqꝫ diuersis in locis obserualsent, et literis mādassent homines externi, quin  
ea indigenarū negligentia nunc luce, suiqꝫ memoria & admiratione carerent. Non  
potest igitur mihi, Uernhere ornatiſſime, non ualde probari studium tuum, quod  
hoc genus Hungariæ turę rebus eruendis & illustrandis impendis: nec facere pos-  
sum, quin te ad id continuandum cohorter. Nam eo non tantū mihi fueris  
gratificatus, sed etiam tibi apud omnes magnæ laudi  
est futurum. Bene uale.

DE